ergo transivimus in ecclesia, descendimus ab oriente contra occidentem, et in fine ecclesiae per ostium exivimus contra austrum, partem unam ambitus perambulantes, et iterum convertimus nos contra aquilonem et ad caput chori venimus, ibique per gradus ascendimus ad quoddam habitaculum, cujus ostium lapidibus obstructum, propter causam dicendam fol. 290. Hoc enim habitaculum est ad caput chori, quia (95 A) chorus ab oriente nullas habet fenestras praestante hoc habitaculo impedimento: sed solum lumen habet a meridie. Ascendimus ergo cum processione praedictos gradus, et ante obstructum ostium prostrati adoravimus, et plenarias indulgentias etiam hic accepimus (††), et hymnum inchoatum cum suavi modulatione concinimus, adeo quod sonus procul per omnem montem Syon et per Jerusalem diffundebatur. Non enim erat locus clausus, sed sub divo in alto consistentes jocundissime cantavimus: recordati quod in hoc loco coeli distillaverunt a facie Dei Synai, a facie Dei Israel, et pluvia voluntaria segregata est haereditati Christi. Hic namque Spiritus sanctus repentino sonitu super discipulos venit mentesque carnalium in sui amorem permutavit et foris apparentibus signis igneis intus facta sunt corda flammantia, quia dum Deum in ignis visione suscipiunt, per amorem suaviter arserunt. Christus enim coelestia petens praecepit discipulis, a Jerusalem ne discederent, sed Patris promissionem exspectarent. Et ingressi huc in hoc habitaculo clausi manebant propter motum Judaeorum, et erant hic desolati et orphani, ignari et inscii, timorosi et trepidi. Sed Spiritus sanctus adveniens consolationem dulcissimam attulit, sapientiam clarissimam infudit, robur fortissimum dedit, et constantes et in gratia confirmati mundi principatum acceperunt. Hunc locum sanctum clarius describam, cum de sepulchro David venerit dicendum.

## Locus, ubi S. Thomas Apostolus dubius Domini vulnera tetigit.

Deinde locum illum deseruimus et per gradus prope locum descendimus in ambitum, et in capellam S. Thomae

260

258

264

254

269

249

309

209

359

159

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;